

SOTERIA
ILLUSTRIS RUTHENEI,
IN HONOREM DEI,
AUSPICIIS
ILLUSTRISSIMORUM COMITUM
AC DOMINORUM,

DN. HEINRICI PRIMI,
DN. HEINRICI TERTII,
DN. HEINRICI QVARTI,
DN. HEINRICI OCTAVI,
DN. HEINRICI DECIMI,
Junioris Lineæ Ruthenorum, Comitum ac
Dominorum à Plavia, Dominorum in Greiza, Crannich-
felda, Gera, Schleiza & Lobensteinio, &c.

INAUGURATIONE SOLENNI
CUM NOVI AUDITORII,
TUM ET
THEATRI

IN COLLEGIO RUTHENICO RESTAURATO,
Cras, Deo clementer indulgente ac perendie
CELEBRANDA,
NOMINE PUBLICO
INDICANTUR.

AD QVAM SOLENNITATEM
IIDEM GRATIOSISSIMI NUTRITII,
UT ET

Perquam Venerabiles Ordinarii juxta & Extraordinarii
INSPECTORES,
HOSPITES ITEM SPECTATISSIMI, OMNESQVE
INTER GERANOS ERUDITI,

Humillimè, Observantia singulari ac Humanitate
amicabilis

INVITANTUR

M. JOHANNE FRIDERICO KOEBERO,
Gymnasii Provincialis Rectore.

GERÆ, TYPIS GEORGI HEINRICI MÜLLERI.



P. VIRO.
M. JOH. GEORG. FRAN
KHO, Heburgenfium An
diacono bene merito sig
Fautori singulariter col
officiosi mittit



Onec vastissima hæc universi
moles stabit inconcussa, vix ac ne vix
quidem futurum hariolamur, ut, cum
Scholæ, pietatis & literarum palæstræ
certissimæ, gloriæ DEI velificentur u-
nicè, morumque honestati ac civium
saluti litent, & suas adeo utilitates in o-
mnes hominum status, conditiones & ordines, ad fluminis
instar effundant; variis non objiciantur odiis, innumeris
non conflictentur cum adversitatibus, nec quam plurimis
exponantur malis. Ita n. per corruptam naturam fieri solet,
ut se malitia opponat virtuti semper, improbitas bonitati.
Quin ipse Satanas, teterrimus salutis nostræ hostis, omnem
moveret lapidem, omni opera, contentione & industriâ in id
incumbit, ut Scholas sive palam, sive clanculum oppugnet,
subvertat, radicitus extirpet. Non ignarus pro suâ, quâ est,
calliditate, prodire ex Scholis, & undiquaq; terrarum emitti,
qui divina vi armati, regnum ejus noxiosissimum adoriri, op-
pugnare fortiter, ac feliciter imminutum ire non vereantur.
Sed uti gloriâ DEI & honore prius nihil aut magis quærent
Scholæ: ita easdem nec clementiâ suâ & bonitate, nec ho-
nore destituit Deus. Eo fit, ut, quamvis oppugnentur un-
diqve, tamen contra invidiam hominum, calliditatem atq;
solertiam Diaboli, contraq; omnes insultus invictæ stent,
& facile cum omnium admiratione conserventur. Cujus
exempla ut è longinqvò arcessamus, opus non est, cum do-
mi suppetant non una. Nihil ergò nunc dicemus, quàm
gratiosè à Deo inter tot bellorum calamitates conservata sit
Patria; nihil memorabimus, quàm paternè ac feliciter divi-
na Veritas contra tot improborum insidias asserta: de eò
nunc exponere tantum, & grato recolere animo sedet, quàm
benignè ILLUSTRE HOC RUTHENEUM per ipsius
gratiam defensum, sartumq; ac tectum hæctenus conserva-
tum sit. Quamvis enim & illa DEI O.M. gratia, quam publicæ
rei

rei & Ecclesiæ, pro ineffabili bonitate sua, exhibuit, gratias mereatur & laudes immortales; nescio tamen, quæ fiat, ut de suo statu quisque & loquamur libentissimè, & quid de eo factum, non injucundè recenseamus. Præteritorum quippe sævavis recordatio malorum est. Quorum & memoriâ ad laudes DEI excitamur, à quò erepti iisdem sumus. Igitur ô quanta, quàm insignis, quàm varia est tua, quâ in Gymnasium nostrum usus fuisti, bonitas, ô bone Deus? De qua digne exposituro mihi, Poëtarum mos videatur imitandus, qui in grandia delati, centum sibi ora, centumque voces optare solent; nisi vanum hoc sit, & quo nihil proficere ad summam liceat. Neque enim ullius tantum est ingenii flumen, tanta dicendi vis, tanta ubertas scribendi, quæ non dicam exornare, sed enarrare saltem ac numerare bonitatis divinæ documenta possit. Recensenda interim, si non quæ par est, attamen, quæ licet. Eccui igitur si non visum, saltem auditum non est horrendum illud incendium, quò omnis conflagravit superioribus annis Germania, tota contremuit Europa? Quacumque incubuerat armorum vis, ibi metus & terror & desperatio agebant omnia vertebantque. Clades excidiaque & interitum non minabatur, sed inferebat, certè conabatur inferre. Et veluti, ubi obscœna tempestas incumbit nobis, cœlum terræ videtur misceri, dies ipsa eripi, ac nulla omnino lux, nisi maligna & horrenda fulgurum, relinqui, ac præterea procellis concuti omnia, ventorum violentia agitari, grandine horrendâ frangi, imbre impetuoso deprimi ita solent, ut non tam segetibus & agris, quàm universo propè generi humano exitium perniciesque ultima intentetur: ita bellum illud & magnitudine periculosum & latè divisum atque dispersum, quid aliud poterat, quàm strages dare hominum, funera urbium, excidia regionum? Bellum enim tunc demum pulcherrimè putatur geri, cum quàm latissimè spargitur clades, solitudinem infert populis, & quicquid restat, prosternit ac ruit. Colligitur inde ex facili, quod nec Scholis pepercit contumacissimus belli furor. Nempè quod Marium dixisse legimus, præ armorum strepitu, se exaudire leges non potuisse; id in præsentis quoque habebit locum, statuendumque omninò erit, innocentes Musarum voces percipi non potuisse.

se inter terribiles Martis fragores. Unde factum dubio procul est, ut negligenter ubiq; studia, docentes æq; ac dicentes ejicerentur auditoriis, sapientiæ ac pietatis officinæ occluderentur, devastarentur passim ac nefariè excinderentur. Vix n. esse pretium literis potest, cum vi ceperunt geri res, interq; Martia tela, ut Virgilianus pastor conqveritur, tantum valent,

quantum
Chaonias dicunt, aquilâ veniente, columbas.

Ista igitur calamitas, quæ omnium communis erat, sejuncta à nobis nequaquam poterat esse. Quos criminum societas antè, eos mali fortuna, quæ sequi peccatum solet, non immeritò conjungebat. Hinc parum aberat, quin & nostræ Musarum aræ in haras, ac roateria in stabula, ædes in neqvitiarum sedes, subsellia in latrocinia quandoq; converterentur. Verum, quod Deo unicè imputamus, nunquam in tantâ miseriâ factum meminimus, ut planè penitè cessarent hoc locò studia, ac inter arma filerent omnino Docentium voces. Certè non defuerunt, qui etiam tunc sua Gymnasio nostro profitebantur nomina, & ad nos discendi gratiâ aliunde concurrerant. Quid? & sedulâ Præceptorum institutione non pauci iis locupletabantur profectibus, ut, non planè Rutheni emarcuisse aut intercidisse florem, videre cordatiores possent. Eorum, qui inter publicas istas calamitates DEO consecrati ac Musis, in sinu hoc blandissimo adoleverunt, complures nominare possemus, opus si foret. Neq; dubitamus, quin grato iidem animo nobiscum piè agnoscant, si qui supersunt, in quos tantum boni tunc contulit DEUS. Qui quanquam criminibus nostris iratus, noluit tamen nos usq; ab stirpe everfos. Adeò &, cum castigat, Pater est, & cum offensus, nostræ hominum imbecillitatis memor, supplicib⁹ parcit. Meminisse obhorrescit animus gravissimi casus civitatis nostræ, cum ante hos ipsos quatuor & quadraginta annos, ipsò Paschatos festò, non fortuitò, sed oblato ab hostibus incendiò, potior, isqve melior oppidi hujus pars proh dolor! deflagraret. Namque nec templum ornatissimum, nec præclara Gymnasii nostri ædificia ac palæstræ vim flammarum effugere poterant: vagabatur latissimè ignium furor, nec lares solum privatos, sed publicas etiam Deoq; ac studiis sacras

sacras miserrimè involvebat aedes. Actum videri poterat de
 Gymnasio illustri: & actum revera fuisset, n̄ intervenisset
 bonitas Divina, & quasi objecto suæ Clementiæ scuto, rui-
 nam declinasset. Quod itaq; PIËNTISSIMUS & GLORI-
 OSÆ RECORDATIONIS FUNDATOR, PRÆCELSUS
 HEINRICUS POSTHUMUS, amplificandæ gloriæ, cœ-
 lestiq; propagandæ veritati excitaverat Pædeyterion, suas vi-
 delicet maximas in hâc vita delicias; id non patiebatur in-
 tercidere omninò, gloriæ suæ præpotentissimus arbiter, DE-
 US. Non quidem fieri poterat, quin casu tam funesto in-
 terrumperetur aliquid operis boni; non finiebatur tamen,
 nec cessabat diu nimis, sed velut, qui pauxillâ refocillarunt se
 quiete, alacrius deinde surgunt ad operas intermissas; sic, si
 quid intermissum in tanta omnium perturbatione, id, quâ
 potuit fieri contentione maxima, compensatum facilè fuit.
 Collectæ igitur & ex fuga retractæ sunt illicò trepidantes Mu-
 sæ, quibus per annos aliquot Collegium, ut tunc vocabatur,
 CONRADINUM vel, ut hodiè dicitur, LIMMERIANUM
 hospitium præbuit non ingratum. Interim fervente adhuc
 belli fatalis æstu, curâ & provisionibus ILLUSTRISSIMO-
 RUM TUNC TEMPORIS NUTRITORUM, ex favil-
 lis resurgebat Gymnasium, restitutum in integrum & Audi-
 toriis, & habitaculis plerorumq; Præceptorum. Neq; enim
 inenarrabilis RUTHENORUM in Musas amor jacere in ru-
 inis poterat pati illarum sedes; vigilabat perpetim, nec qui-
 escebat, donec stupendis planè sumptibus cum Templò sta-
 rent resuscitatæ Gymnasia aedes: Diligentium agricolarum
 instar, qui, ubi magna detonuit tempestas, in agros excurrunt
 & hortos, ut, si quid nocuerit, mature reparant, perdita etiam
 ac deleta restaurent. Adeò à Vestri similibus, hoc est, opti-
 mis mentibus, ô BENIGNISSIMI NUTRITII, divina nun-
 quam benignitas abest, sibi demit, ut largiatur aliis, eget, ut
 suppetat aliis, quò egebant, sui obliviscitur quasi, ut publicè
 profit, suum defraudat ærarium, ut Salus communis pro-
 moveatur. Et per Vos igitur Vestramq; munificentiam si-
 bi restitutum tunc suo pristino nitore pleram partem est Gy-
 mnasium. ΜΕΓΑΛΗ ΧΑΡΙΣ ΗΜΙΝ. Sed cum & hîc non pa-
 rum debeamus cum favori Nobilissimi Equitum Ordinis,

tum Urbium per Dynastias JUNIORIS LINEÆ RUTHE-
NICAS florentissimarum benignitati; & his maximas pu-
blicè gratias agimus, majores etiam habemus. Florete per-
petim, STATORES LITERARUM, & quicquid in restau-
rationem impendistis Gymnasii, largissimo fœnore DEUS
rependat. Habet pessimum bellum torrentis instar, qui vir-
gultorum haud tantum & arborum strages exercet, pecu-
dumq; ac armentorum dejicit greges, sed qui lapidibus & fa-
xis obruit, limoq; & arenis obducit omnia, quacunq; ruit.
Ita non perdit modò, depopulatur, evertit, quicquid deprehen-
dit boni, verùm multa, vel innumerabilia potius trahit secum
& importat mala. Idq; diuturno in bello, quò tota propè e-
versa Germania est, quantò cum damnò, quantò cum dolo-
re exitioq; experti sumus? Quoties cum spes votaq; agresti-
um hostilis immanitas vertisset, annona incensa fuit & fla-
gellata? Quò cum sterilitas interdum accederet; Fames, ul-
timum suppliciorum humanorum Livio dicta, quos non a-
dorta est, imò quantam ubiq; non dedit stragem? Famem
semel atq; iterùm Pestis secuta est horrenda & immanis, quæ,
quicquid reliquum fecerat vel belli violentia, vel famis rabi-
es, id propemodum omne pessum dedit. Quid dicam æ-
ruscatorum nequissimas artes, ac tristissimum illud moneta-
rium malum, quò nec Gera nostra conflictata parum fuit?
Dubium non, est quin tempora fuerint planè dura, inauspica-
ta & misera omninò, studiis certè, & nostro imprimis Ruthe-
nèo perniciofa. Audiamus, quid suo tempore, nempe An-
nò hujus Seculi XXIV, hâc de re conquestus publicè sit qui-
dam Gymnasii hujus Rector laboriosissimus. Ita verò ille:
Meritò non nemo, cui judicium melior formavit Pallas, mi-
ratur, quòd Schola nostra non sit dissipata, cum tamen jam
nunc vix quinque inter Discipulos liberali fruantur hospitio,
cæteris interim, qui inceptam apud nos studiorum telam
pertexere satagunt, per annum, vel centum, vel septuaginta
floreos, aut circiter pro mensa solvere, & nihilominus labo-
riosissimum illud privatæ informationis onus subire coactis.
O extremam infelicitatem! Quæ quoniam non planè ever-
tit Rutheno-provinciale Gymnasium; eccui, nisi soli DEO,
Scholarum O.M. Conservatori, feremus acceptum? Et quan-
tum

tum est illud? annon habendum maximi, quòd eadem benignitas DEI & potentia contra tot hostes, tot æmulos, tot invidos, tot obtrectatores, quorum dentes Theoninos expertum quandoq; est Rutheneum illustre, idem clementissime conservavit, & rumpantur ut ilia Momo, adhuc tuetur? De cujus perpetuo flore sic aliquando Vir excellentissimus, deq; re literariâ benè merentissimus, ominabatur, & nos cum ipso præfiscini auguramur:

LAURIGER. HIC. HELICON. HIC. HIC. CEU. VICTOR. OVABIT.
NOBILE QVE. EXTOLLET. CAPUT. ET. CONTRARIA. QVÆVIS.
CALCABIT. PEDIBUS. DEUS. HOC. HELICONE. QUIESCIT.

Vidit hoc tota propè Germania, quâ meliores sequitur partes, vidit, & admirata est: viderunt nec pauci exterorum, ac plausum dederunt. Et ecce ad benè de Gymnasio sperandum novum nunc signum sustulit insignis clementia ILLUSTRISSIMORUM COMITUM AC DOMINORUM, DN. HEINRICI I. DN. HEINRICI III. DN. HEINRICI IV. DN. HEINRICI VIII. AC DN. HEINRICI X. JUNIORIS LINEÆ RUTHENORUM, COMITUM AC DOMINORUM à PLAVIA, DOMINORUM IN GREIZA, CRANNICHELDA, GERA, SCHLEIZA ET LOBENSTEINIO, COMITUM AC NUTRITORUM NOSTRORUM PLANE GRATIOSISSIMORUM. Hi enim LAUDATISSIMI HEROES quemadmodum vestigia, immortali cum nominis gloriâ quondam à BEATISSIMÆ RECORDATIONIS AVO AC PARENTIBUS pressa, exactissime sequuntur: ita nihil habent insuper, quod ad salutem, incolumitatem ac vigorem Scholæ provincialis suæ pertinere, pro exasciatâ suâ prudentiâ ac bonitate, arbitrantur. Itaq; IPSIS non fuit satis tueri sollicitè ac conservare Viridarium, quod manu auspiciatissimâ plantaverant SUI & rigaverant largissimè: amplificandum quoq; ILLIS videbatur, & adèò, quod hæctenus informe rudus jacuit, & cineribus ac favillis, per violentiam Martis, ac Vulcani crudelitatem anno M. DC. XXXIX. obrutum & involutum fuit, denuò reparandum Majus Auditorium, tantumne? imò & præstantissimo, variisq; scenis conspicuo & elegantissime picto Theatro, quæ lenunquam antihac Gera habuit, locupletandum & exor-

nandum è re nostrâ putaverunt. Ut adeò, qui Acroaterium
vetus se conspexisse recordatur, & cum restaurato hoc con-
fert, non possit non fateri, hoc longè augustius ac splendidius
esse, quàm priscum illud ædificium. Jactitavit quondam
Augustus Cæsar, Imperatorum optimus idem & maximus,
Romam se invenisse lateritiam, sed fecisse deinceps marmo-
ream. Si pateretur inusitata **ILLUSTRISSIMORUM CO-**
MITUM NOSTRORUM moderatio, idem suo quodam
jure nunc gloriari possent. Nam & **IPSI**, quod in ruderi-
bus ac parietinis delituit Auditorium, excitârunt denuò, &
in meliorem faciem opere ac cultu splendidiore restituerunt;
documento evidentissimo, suam in illustre Rutheneum Cle-
mentiam nec imminutam esse, nec tantillum declinâsse à
BENIGNISSIMORUM AVI ET PARENTUM, jam pri-
dem inter cœlites triumphantium, Gratiâ ac Bonitate. Ce-
lebratur apud antiquos Asclepiadarum familia, quòd in ea-
dem per annos plus mille artis medicæ studium ea florie-
rit constantia, ut liberi semper parentû vestigiis insisterent, &
avitæ artis possessionem sibi vindicarent. Sic & quàm com-
modare primùm Musis Gratiâ coepit **ILLUSTRISSIMUS**
AVUS, Gymnasii Parens ac Fundator Magnificentissimus,
& quàm deinde **PARENTES** ac **PATRUËLIS OPTIMI**
MAXIMI summâ cum laude iisdem exhibere perrexerunt;
eandem omninò hodiernum **PRÆCELSI NOSTRI RU-**
THENI pari constantiâ ac magnitudine probant, diffusuri
hanc ipsam & in **PROLEM GENEROSISSIMAM**, prout
spes non incerta allucet, Natosq; Natorum, & qui ab his na-
scentur unquam. Ut adeò Vespasianos, Constantinos, Ca-
rolos, alios, si non pari splendore ac magnificentiâ, non im-
pari tamen animo, favore & bonitate in literarum studia æ-
mulentur **MÆCENATES NOSTRI GRATIOSISSIMI**.
Et hi igitur, ut evidentissimè ostendant, & præter omnium
oculos manifestissimè in luce ponant, quanta in Rutheneum
sint Clementia, decreverunt gratiosissimè, ut novum istud
Auditorium **DEO** ac Musis exædificatum, nunc solennita-
te quadam publica & memorabili dedicetur ac consecretur.
Et initium quidem crastinò die, quem felicem **DEUS** esse ju-
beat, futurum est **ACTU QUODAM ORATORIO**, ubi è
cathe-

cathedrâ novâ VIR PLURIMUM REVERENDUS, AM-
PLISSIMUS ATQVE EXCELLENTISSIMUS DN.
HEINRICUS CONRADI, SS. THEOLOGIAE LICEN-
TIATUS, ECCLESIAE NOSTRAE PASTOR, EJUSQVE
ET VICINARUM SUPERINTENDENS VIGILAN-
TISSIMUS, CONSISTORII RUTHENO-PLAVIEN-
SIS ASSESSOR PRIMARIUS, NEC NON ILLU-
STRIS RUTHENEI INSPECTOR GRAVISSIMUS,
primam habebit Orationem, lectiones suas Theologicas
bono, quod auguramur & sincerè exoptamus, omine au-
spicaturus. Quò factò, eandem confendent cathedram
TRES NOBILISSIMI ADOLESCENTES, nempe JOH.
LUDOVICUS à Raundorff/EQ. MISNICUS, JOH. DA-
NIEL à Roserig / EQ. MISNICUS, nec non ANTON.
CHRISTIANUS à Cosspot / EQ. VARISCUS, emblema-
ta, quæ in cathedrâ conspiciuntur picta, oratiunculis illu-
straturi. Perendie autem, cum bono DEO, DRAMA O-
RATORIUM in Theatro exhibebitur, quo historia quasi
Foundationis Gymnasii, variis nempe fictionibus interpola-
ta, sub schematibus certis, more Comico, sistetur, vel potius,
quidquid in deliberationem aut venit, aut venire fortassean
potuit, cum in erigendo ac condendo illustri Rutheneo oc-
cupatus esset INCOMPARABILIS HEINRICUS PO-
STHUMUS, quem nulla erit tam furda posteritas, nulla tam
ingrata fama, quin in coelum debitis maximisq; laudibus fe-
rat. Ita enim nec incommodè restaurari memoriam LON-
GE MERITISSIMI DYNASTÆ, & dedicari elegans egre-
giumq; Theatrum rectissimè posse, rati sumus. Actus igitur
illius Dramatici summa hoc veluti conspectu exhibenda ac
proponenda paucis videtur. Idcirco statim initio ILLU-
STRISSIMIS DOMINIS NUTRITIIS, de felici ONO-
MASTERIORUM reditu gratulabitur humillimè GEORG.
CONRADUS à Bagdorff/EQ. VARISCUS. Nam quia
hæc solennitas in ipsum HEINRICI diem, quod nomen
LAUDATISSIMIS RUTHENIS NOSTRIS, & lustricum
est & gentilitium, incidit; ideò id nec in super habere, & o-
minibus prosequi devotis, par omninò & æquum arbitrati
sumus. Cujus quidem gratiâ & Ode Germanica, musicis in-
stru-

strumentis intermixtis, decantabitur. Hinc præmissio Pro-
logo, sub schemate *Apollinis*, cujus personam sustinebit BAL-
THASAR HEINRICUS à *Nischwitz* / EQ. VARISCUS,
& Argumentatore, GEORG. HEINRICO à *Kauffung* /
EQ. VAR.

ACTU PRIMO,

Prodibit primùm *Dynastia Ruthenica*, blandissima illa Musarum
nutrix (JOH. CHRISTOPHORUS *Frauendorff* / NUMBURG.) de-
bitas DEO gratias actura pro concessis clementer beneficiis, quibus
fruita summo cum gaudio fuit ad illa usque tempora, quibus decretum
de Scholâ provinciali constituenda, opere ipso impletum fuit, h. e. usque
ad annum hujus seculi, jam in senium vergentis, octavum. Et quoni-
am *Dynastiæ* laudatissimæ nunquam non Salus publica curæ fuit ac-
cordi, quoniam item perpetuo ac clementi amore in Patriam flagra-
vit; ideò his, tanquam individuis comitibus ac sociis stipata accedet.
Ex quibus eidem *Salus publica* (Gottlob AUGUSTUS à *Reibold* / EQ.
VARISC.) felicitatem, quam deprædicavit, gratulabitur ex animò:
Amor verò patria (CENTURIUS à *Miltitz* / EQ. MISN.) stimulos ad-
det ac incentivum, ut ad augendam Provinciarum suarum felicitate-
tem, & de Scholâ provinciali instituenda cogitationem fuscipiat. Et-
si enim calcari non erat opus, quod adderetur currenti, cum per se ip-
sum BEATISSIMUS FUNDATOR promptissimus fuerit ac cupidis-
simus ad ædem Musis ac sedem excitandam: nil tamen prohibere o-
pinamur, quin fingere hæc & alia impunè liceat.

ACTU SECUNDO,

Post *argumentatorem* (JOH. RUDOLPHUM à *Coppn* / EQ. VAR.)
comparebit iterum *Dynastia*, suum expositura desiderium de Scholâ
provinciali erigendâ. Deliberabit ideò cum suis Statibus non solum
ex Equestri, sed & Civitatum ordine. Vices Nobilium in hæc discepta-
tione sustinebunt *Apollo & Mars* (PAULUS *Mittelhäuser* / LIPPERSD.
THUR.) quorum ille, quod proposuit *Dynastia*, suadebit, argumen-
to petito ab utili; hic contra dissuadebit, tanquam rem non adeò utilem.
Civitatum nomine disputabunt invicem *Eubulia* (GEORG. CHRI-
STOPH. à *Braun* / EQ. MISN.) ac *Dysbulia* (Chrenfried LEVIN. à
Naundorff / EQ. MISN.) ex quibus hæc *Dynastiæ* institutum impro-
babit, cum ab illegitimo, tum & iniquo, illa verò Scholæ foundationem
laude dignam judicabit ex æquitatis consideratione. *Dynastia* propo-
siti laudabilis tenax, dissuasionibus insuper habitis, ad ulteriorem de-
liberationem differet rem omnem.

ACTU TERTIO,

Cujus *Argumentator* futurus est JOH. CASPAR. *Schreyer* / GER;
Dynastia de constantia sui propositi dilucidius exponet. Equidem
Apollo & Eubulia, etsi novis ostendent argumentis, consultum omninò
esse, ut Gymnasium aliquod provinciale excitetur; tamen, arduum
illud

illud ac difficile esse opus, simul monebunt. Verum nec ullâ difficultate à proposito dimoveri se patietur Dynastia, & divinitus missâ accedet *Pronœa* seu Providentia DEI (HEINR. SIGISM. Marquart/SCHLEIZ.) cum *Spe* (MARTIN. BERNHARDO Müller / LOBENSTEIN.) ostensura, & fieri per DEI gratiam posse, quidquid molietur tantâ cum laude Dynastia, & futuros esse nunquam non ex illustrissimâ Ruthenorum Prosapia, qui singulari clementiâ profecuturi, & tanquam in sinu blandiusculè futuri sint suum illustre Rutheneum.

ACTU QVARTO,

Post *Argumentatores* CAROLUM FRIDERICUM ab Ende / & HEINR. Gottfried à Raschau / EQQ. VAR. Deliberatio instituetur de modo constituendi Scholam & docendi methodo. Igitur *Hyperephania* seu Elatio animi in rebus scholasticis (ADAM HEINR. à Maundorff / EQ. MISN.) non nisi academica & sublimia docenda, nec alia, quam præstantissima ingeniorum in novam Scholam admittenda esse, svadebit. Id verò dissvadebit *Prudentia Scholastica*, (MICHAEL Böhswetter / PLAVIA-VAR.) De ratione etiam ac modo docendi inter se disceptabunt *Ametbodia*, (JO. CHRISTOPH. Wolff / GER.) & *Eumetbodia*, JO MATTH. Böldfel / BYRUTHA-FRANC. Sed dum meliora eligit Dynastia, & cum gaudio methodum probatiorem arripit, Deumq; precatur, ut mala omnia clementer avertere velit; ab inferis emergent *Mars*, *Fames*, (JO. WILHELM. Spengler / ADORF:VAR.) & *Pestis*, (ISAACUS Spengler / NEUKIRCH:VAR.) & pessima quævis comminabuntur. Quæ mala dum deprecatur Dynastia, cœlitus interim missâ accedet *Dei Potentia* (GUSTAVUS Bonacker / OPPURG. THUR.) abactura hostes, ac divinam assistentiam promissura.

ACTU QVINTO,

Cujus *Argumentores* erunt GEORG. DIETERIC. Feuerlein / HELMBRECHTA - VAR. JOH. DOROTHEUS Köber / GER. & JO. CAR. FRID. à Cöpp / EQ. VAR. Postquam Dynastia, quid & quomodo docendum sit in novo Gymnasio, stabilivit ac constituit, tandem & de disciplinâ morum ac vitæ deliberationem instituit. Et hanc quidem svadet *Pronœa*, *Salus Publica*, & *Amor patria*, modum verò disciplinæ tradit ipsa *Disciplina Scholastica*, AD. CHRISTOPH. Treher / GREIZA-VAR. Postea comparent, tanqv. ad novitii, nomina daturi Gymnasio, & ideò se commendant Vitia quædam, nempe *Morum Licentia* (ÆGID: Wild / PLAV:VAR.) *Ebrietas* (MARC. Nussbaum / CIZA-MISN.) *Doxosophia* five vana eruditionis Persvasio (JOH. Gottfried Steinhäuser / PLAV:VAR.) nec non *Ignavia* s. *Otium*, STEPH. Roth. KNAV:VAR. Sed quoniam his vitiis nullus concedi locus debet aut potest in Christianâ ac piâ Scholâ; ideò non increpantur modò, sed & à Disciplinâ Scholasticâ profligantur, & exesse penitus è Scholâ jubentur. Tandem accedet *Invidia*, (JO. FRID. MASIUS NETSCH:VAR.) mala plurima Scholæ novæ comminatura. Sed hanc abiget *Pronœa* & amolietur. De cætero *Fama*, GEORG. CAR. Gentsch / VOIGTSB. VAR.) laudes ILLUSTRISSIMORUM RUTHENORUM ac Scholæ propalabit: *Tempus* etiam (JO. GEORG. FRID. à Wolframßdorff / EQ. VAR.) Jubilæum celebrabit, quia nunc tertius quadrans à Gymnasii fundatione, per DEI gratiam præterfluxit. Loco *Epilogi Pietas* (JO. HEINR. Schmid / GER.

2/6 918 M

GER.) totum Actum gratiarum actione ac precibus concludet. Neq; v. dissimulandum est, feriis hisce & LUDICRA QVÆDAM SCHOLASTICA, & idiomate quidem vernaculo, in eorum gratiam, qui fortè Latina non intelligunt, immistum iri; quâ de re peculiari Scheda exponetur. Quin & præter dictam supra Oden, aliæ etiam, nempe sub frontispicium Actûs totius, hinc post medium in laudem BEATISSIMI FUNDATORIS, & tandem post Epilogum in encomium ILLUSTRISSIMORUM CONSERVATORUM & pro IPSORUM incolumitate decantabuntur. Et hæc quidem, auxiliante Gratiâ Divinâ, peragentur Die Mercurii ac Jovis. Cui Die Veneris horis antemeridianis succedet DISPUTATIO PUBLICA, ut & hujus generis exercitio cathedra nova consecratur & quasi imbuatur: à meridie autem repetentur LUDICRA ILLA SCHOLASTICA, pridie seorsim lusa, nunc LUDICRIS POETICIS additis, ut & Cives honestiores, & qui disciplinæ nostræ Alumnis benè cupiunt, Scholamque amant, præ cæteris habeant, quo delectentur. Atq; hoc modo SOTERIA celebrare GYMNASII in DEI præcipuè honorem, ac debitam erga ILLUSTRISSIMOS NUTRITIOS gratitudinem lubet, imò & par est. Solebat cæca gentilitas, ex malis liberata, Diis, quos Aværruncos appellabat, victimas in grati animi tesseram offerre. Offerimus simile quid & nos hodie, non quidem fictitiis illis Numinibus, sed DEO immortalis atq; æterni, quod hætenus adesse clementer Rutheneo illustri, idemque eripere tot malis, & ab ipso vindicare interitu toties liberali manu voluit. Coronam ob servatos cives queream dabant Romani, qui in periculo tuiti erant forti animo ac manu civem. Quin & ILLUSTRISSIMIS RUTHENIS NOSTRIS, cum à Civibus, tum & Peregrinis innumeræ hujusce modi coronæ debeantur propter servatos ingenti multitudine cives; quotusquisque tam scævæ mentis est, qui negatum eat? Faciunt id sanè ubivis locorum cum gratissima beneficiorum deprædicatione, qui Gymnasii nostri doctrinis aut ipsi innutriti sunt, aut suos innutritos esse recordantur. Igitur ad SOTERIA ISTHÆC RUTHENEI PUBLICA primùm ILLUSTRISSIMOS COMITES AC DOMINOS, JUNIORIS LINEÆ RUTHENOS, COMITES AC DOMINOS A PLAVIA, DOMINOS IN GREIZA, CRANNICHFELDA, GERA, SCHLEIZA ET LOBENSTEINIO, DOMINOS AC NUTRITIOS NOSTROS GRATIOSISSIMOS, humillimo mentis affectu, deinde & PLURIMUM VENERANDOS DNN. INSPECTORES, nec non, QVOTQVOT ERUDITOS AC STUDIIS FAUTORES FOVET GERA NOSTRA, submissè, observanter & amicè rogamus, ut cras, ad Actum Oratorium, cathedræ sub horam nonam antemeridianam, perendie autem ad Actum Dramaticum, Theatri inauguralem, sub ipsam pomeridianam primam, clementer, perquam gratiosè ac benevolè comparere velint. DEUM veneramur supplices, velit suâ paternâ bonitate prosperare has pariter & omnes alias actiones Scholasticas, velit & damnnum posthac omne, omnes veritatis hostes, ac inimicos pacis à patriâ nostrâ, ab aris ac templis, à laribus atq; fortunis, ab illustri denique Schola provinciali longissimè arcere. P.P. Geræ d. X. Julij, A. O. R. ∞ Jcc. LXXXIII.

F. 24, 14

De Divina protectione et consecratione 3.
Ruthenici Geraciensis

(X202453)

Yb
918

SOTERIA ILLUSTRIS RUTHENEI, IN HONOREM DEI

ILLUSTRIS ACADEMIAE SOTERICAE RUTHENICAE
MITUM

D^N. HEINRICHUS
D^N. HEINRICHUS
D^N. HEINRICHUS
D^N. HEINRICHUS
D^N. HEINRICHUS
MI,

Junioris Lineae
nitum ac
Crannich-

Dominorum à Plebana, Geraciensis
INAUGURATIONE
CUM N

IN COLLEGIO
Cras, Deo

AD QUINQUE
IIDEM GEORGIUS

Perquam Venerabilis
INS

HOSPITES ITA
INT
Humillimè, C

M. JOHANNES
G

GERÆ, TYPIS GEORGI HEINRICI MÜLLERI.



P. VIRO.
M. JOH. GEORG. FRAN
KIO, Neuburgensi
Diacono bene merito
Fautori singulariter col
officiosi mittit

